



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 20. Apamiensis Episcopi Vindiciæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

„dedimus a casibus reservatis absol- Sæc. XVII.
„vendi.,, A. C. 1680.

§. XX.

Apamiensis Episcopi Vindicia.

Cum autem non modo Regis Ministri, *Gall. vind.*
sed etiam Tolosanus Archiepiscopus, *pag. 281.*
ceterique Franciæ Præsules Apa- *Du Pin hist.*
mensem Episcopum contumaciæ, ac *de l'Eccl.*
infami zeli insimularent, imo & Tolosa- *t. 4. p. 364.*
nus excommunicationis sententiam
contra Palarinum nuper denuntiata
omnino irritam declarasset, huncque
Canonicum a censura ad *cautelam* ab-
solutum, ad exercendas beneficii &
officii usurpati functiones habilem red-
didisset, atque Episcopum ad diem
octavam Maij coram suo Tribunali com-
parere iussisset, hic eadem die præfato
Archiepiscopo literas submisit, quibus
sententiam a se pronuntiatam esse vali-
dam demonstravit, ita præfatus:

„Equidem fateri ingenue debeo, &
„præsentibus literis (posteaquam liber-
„tas mihi adempta est publicis ac so-
„lemnioribus tabulis id agendi) palam
„testari, me in iis, quæ Regaliam
„spectant, nullo modo illustrissimæ Do-
„minationis Vestræ Jurisdictionem a-
„gnoscerè posse, & consequenter nec
„ejus hac in re iudicio, sententiis,
„De-

Sæc. XVII. „Decretis, ad eamque interpositis Ap-
A. C. 1680. „pellationibus deferre. Rationes, quæ

„hoc mihi persuadent, jam alibi in
 „scripto prima Octobris Anno 1677. ex-
 „polui, & nemo eas legit, qui non
 „continuo professus sit, se illis convi-
 „ctum esse; nihilominus tamen non
 „prætermittam in præ-senti etiam epi-
 „stola aliqua fusius deducere. *Primo*
 „videlicet, illustrissimam Dominationem
 „Vestram non esse in iis, quæ ad
 „Regaliam pertinent, Judicem compe-
 „tentem. *Secundo.* In judicio, senten-
 „tiisque ab ipsa latis prætermittas fuisse
 „formas necessarias, & quarum defectu
 „validæ dici non possunt. *Tertio.* Et-
 „tiam in substantia ipsius Causæ a re-
 „gulis Iustitiæ plane deflexisse. *Quarto.*
 „Constitutiones a me editas, & quoad
 „modum, & quoad substantiam ipsam
 „æquas omnino esse. *Quinto.* Appel-
 „lationes ad Dominationem Vestram
 „Illustrissimam interpositas, & inhibi-
 „tiones ab ipsa factas non posse mearum
 „Constitutionum executionem morari.

Primum caput probabat ex Concilio
 Nicæni Can. 8. Sardicensis Can. 17.
 Chalcedonensis Can. 9. & Canonista-
 rum sententia in caput sicut olim de ac-
 cusationibus, ex quibus intulit, quod
 Excommunicationes contra Ecclesiasti-
 cos aut laicos pronuntiatae, in Conciliis
 Pro-

Provincialibus examinatae & discussae Sæc. XVII.
A. C. 1680.
fuerint.

Alterum a se jam Anno 1677. die 18. Octobris comprobatum fuisse ajebat, aliunde vero hoc judicium nec vocato, nec audito Episcopo fuisse pronuntiatum, & Palarino sacras functiones peragendi facultatem concessam, quin de eo constaret Episcopo, an censuris sit solutus, vel innexus, atque absolutionem ad cautelam tantum valere, quando constat, excommunicationem esse nullam, nec sufficere, ut excommunicatio sit injusta, nec aliud hanc absolutionem efficere, nisi ut absolutus in judicio stare possit.

Tertium probavit ex eo, quod Pontifex primum Tolosani decretum jam irritum declarasset, & Episcopi sententiam confirmasset.

Quartum probare nitebatur elisis Palarini objectionibus contra Episcopi sententiam allatis, perinde ac si Episcopus solemnitates (quæ tamen impossibiles erant) necessarias, tresque Canonicas monitiones prætermisisset, cum tamen Palarinus non primum sed excommunicationem jam incurrisse declararetur.

Quinto denique ostendit ex Juris Canonici dispositione, non esse appellationibus deferendum, si & quando illegitimæ sunt.

§. XXI.